



# Friedrich-Wilhelms-Gymnasium

zu Greiffenberg in Pommern.

V.

## PROGRAMM,

womit

zu der am 2. April 1857 stattfindenden öffentlichen Prüfung,  
so wie

zu dem am 3. April folgenden öffentlichen Redeactus  
die Mitglieder

des Curatoriums, des Magistrates  
und der Stadtverordneten-Versammlung, die Eltern der Zöglinge,  
ingleichen alle anderwietigen Freunde und Gönner der Anstalt  
Namens des Lehrercollegiums  
ehrerbietigst einladet

**Professor Dr. Campe,**  
Director des Gymnasiums.

## Inhalt:

1. Quaestiones Thucydideae,
2. Schulnachrichten,  
Beides von dem Director.

Greiffenberg in Pommern,  
gedruckt bei Carl Kraut.



ПЕТЕРСОН - ГАУДЕАМ - ГАУДЕАМ

## ИСТОРИЯ ДОКУМЕНТОВ

Сборник научных трудов по истории документации

и архивов в СССР и за рубежом

Составитель А. А. Борисов

Издательство

Наука

Москва

1980

estimulorum etiamque si impetrataeque musaeis interea magis ratione oras omiximus  
habet obliquitatem si obitum ipso argenti ipsa causa tuncq; tangere non possunt ob  
habet mense unum. Tuncq; ipsius officia cum una cum aliis atque hinc. Quod si hunc  
tempore sunt non tu scilicet ut sollempnis apud leti festum magistris magistrorum  
et iuris consiliorum collega atque iurisconsiliorum tantilla libatoe ratione etatq; mehamp  
genus. Non videtur ut rursum dicitur quod si illi be oratione tu sollicito

**T**hucydides quem locum inter ipsos rerum gestarum scriptores obtine-  
at, ita inter omnes constat, ut supervacaneum sit multis ea de re verbis  
disputare. Sic enim, si licet multa ac magna paucis et parvis complecti,  
recte et merito videtur statui posse, in historia quidem conscribenda a Thu-  
cydide id esse effectum, quod eo in genere summum sit, neque fieri possit,  
ut quisquam egregius omnibusque numeris absolutus rerum scriptor evadat, nisi  
Thucydidis, ut ita dicamus, disciplina institutus et ad illius exemplum confor-  
matus sit. Sed hanc quidem ejus laudem aliis permittimus praedicandam, qui in  
ipsa rerum gestarum memoria studium et operam suam collocavere: nobis, qui  
intra antiquarum literarum fines subsistere ab ineunte aetate statuimus, quid sit  
quod ipsi philologiae, quae vocatur, tribuat ac praestet, grata mente meminisse  
et recolere liceat. Nam quum nulla sit humanarum literarum pars, quae non ei,  
qui cum industria ac fide eam suscepit, lactissimos et uberrimos fructus pol-  
liceatur, vix tamen ullum scriptorem invenias, qui vel ad ipsam interpretationem  
vel ad artem criticam exercendam tam largam tamque inexhaustam materiam  
offerat quam Thucydides. Quae res si fieri potuit ut in dubitationem incurreret,  
ut equidem memini amicos homines et qui toti in hisce studiis essent ita saepe-  
numero mecum dissercere, satis esse in hoc scriptore operaे positum, remque eo  
pervenisse, ut perfrueremur potius iis, quae parata essent, quam apparatus vel  
interpretationis vel criticae Thucydideae augere conaremur; his certe paucis annis  
praeclera et fructuosa virorum doctissimorum industria in Thucydidem collata sa-  
tis demonstratum est, Thucydidem aequa atque Homerum, Platonem, Ciceronem,  
Tacitum unum ex iis scriptoribus esse, qui harum literarum studiosis rem prope-  
modum integrum et intactam praebeant. Nam posteaquam Popponis diligentia  
omnia, quae ad Thucydidem omni ex parte cognoscendum pertinerent, in unum  
congesta sunt, ita ut non difficile esset via ac ratione in illius interpretatione  
versari, tantum absuit ut finis quidam hisce studiis positus videretur, ut ex illo  
ipso temporis momento quasi recreata et confirmata sint. Video non esse hunc  
locum quo laudibus efferamus quid Kruegerus, quem recte ducem ac principem  
horum studiorum dicere licebit, quid Ullricus, quid Bonitzius, quid Dietschius,  
quid Doederlinius, quid Kaempfius, Krahnerus, Forbergius, alii hoc in genere  
praestiterint: sed hoc tamen ne minime quidem dubium est, quin illa studia non  
contractis, sed passim velis non littus legere sed altum mare repeteo videantur.

Maxime vero laetor, etiam eorum virorum doctorum, qui in munere scholastico obeundo vitam transigant, multos esse qui magna cum laude in Thucydide elaborarint. Quod ita factum esse mirum esse nemini poterit. Nam quum aliae antiquarum literarum partes vel ita sint exiles ac steriles, ut non fere propria quadam voluptate nostra studia allicant ac teneant, vel ita amplae et quasi infinitae, ut accedere ad illa in hisce angustiis rerum ac temporis non audeamus, vel ita incertae et fluctuantes, ut, qui codicem anctoritate destitutus sit, consistere in iis nequeat, vel denique ingeniosam potius divinationem, quae paucorum est, quam certam ac firmam rationem requirant, Thucydides mili quidem videtur is esse qui, in quamcunque partem oculos tuos converteris, diurnae ac diligent tractationi maxime se commendet, frugesque uberrimas sperare jubeat, praesertim si quis non impetu quodam animi et temeritate sed via ac ratione ad eum accesserit. Ut enim paucis siquicemus, quid sibi operis iū eligere possint, qui in hoc campo decurrere conabuntur, nemo, opinor, ignorat, quanta rerum copia, etiam earum, quae ad Thucydidis interpretationem conferri possint, his triginta annis undique confluxerit, vix ut quisquam unus omnes scientia sua comprehendere possit. Magnam igitur video illum laudem meritum, qui nobis Thucydidem legentibus hanc rerum copiam suppeditare velit, et spero, Ullricum, si modo promissam editionem nobis exhibeat, id sibi propositum esse. Addo ipsam Thucydidis orationem, quae quum non sit ex nativo Atheniensium sermone profecta, fontes, ex quibus hausta sit, exquirendi et commonstrandri sunt, quamquam, quum Graecae literae jacturam gravissimam fecerint et ex multis et magnis literarum generibus nihil nisi pauca fragmenta supersint, saepenumero necesse est universam potius rationem quandam quam certa vastitia sequi. Sed in hisce rebus paratum vides ducem Kruegerum, qui in singulis magna sagacitate videtur cognovisse, quid Attico sermoni, quid imitationi poetarum, quid ipsi Thucydidis ingenio et quasi sententiarum necessitatи deberetur. Tertio denique loco criticam commemorare licet, in qua nunc maxime, quum codicum ratio satis explorata sit ita ut nihil fere praesidiū a libris manu scriptis exspectari possit, magno cum fructu elaborari posse intelligo. Quin etiam, nisi omnino fallor, confiteri debemus, ea, quae his proximis annis a viris doctis ad Thucydidem allata sint, criticis maxime studiis accepta referenda esse, rigoremque eum, quo Thucydides nunc tractetur, maxime ex critica ea, quam dicimus conjecturalem, profluxisse. Verum ne quis putet hanc quasi a praeterreuntibus exerceri posse, Cobeti, quem honoris causa nomino, ratio monet, qui, quum tanquam summis labris ex Thucydide delibaret, in minutis haesit neque quidquam fere protulit, quo interpretatio ejus scriptoris admodum adjuvaretur et proveheretur. Superest ut de hac qualicunque opera, quam nos in Thucydide nostro posuimus, pauca et ea, qua par est, modestia dicamus. Res ipsae multifariam a no-

bis expensae sunt; non tamen animus nobis erat eas vel hacce occasione vel hoc loco literis mandare: quippe Schneidewinio nostro eas destinaveramus, quo defunctorum omnis ille ardor, quo ad hacce studia incubueramus, aliquamdiu refri-  
xerat. Nunc sero et inviti ad ea redimus, quippe qui non audeamus sperare, eam nostram operam fore quae vel Academiae illustrissimae sine pudore offerri possit, vel orationis elegancia quadam ac suavitate etiam aliis, qui hacce in manus sumant, probetur. Sed quoniam ianua, qua notimus, in hanc scriptionem ingressi sumus, rem susceptam graviter ac strenue perferemus et id efficere conabimur, ut, si ea, quae conjectimus, minus probata fuerint, ratio tamen de ejusmodi rebus disputandi hominibus doctis placeat aliorumque industria hisce nostris cu-  
ris excitetur.

Legati Atheniensium, qui Lacedaemonem ad dicendum prodierunt, postea quam excusavere, quod Athenienses civitates Graecorum imperio suo subiecissent, laude tamen dignum judicant, quod eo imperio moderate et clementer usi sunt: alios quidem, si eadem ipsis facultas data esset, aliter acturos fuisse. Nihi lotamenminus eam clementiam non laudi sibi, sed criminis datam esse. Thuc. I. 76.  
*ἵημι δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ ἐπιεικεῖας αἰδοσίᾳ τὸ πέριον οὐκ εἰσότως περιέστη.* Jam capite sequenti ejus moderationis documenta afferuntur: *καὶ Ἰλασσούμενοι γάρ ἐν ταῖς Συριζούμεναις πόλεσσι Συριζούμεναις δίκαιαις καὶ παρὰ ἵημιν αὐτοῖς ἐν τοῖς ὁμοίοις νόμοις τοντούσιτες τὰς οὐρανίες φριξοδικεῖτες δοκούμεναι.* Est hic locus ex iis qui magnam interpretibus molestiam ac dubitationem moverunt, maxime quod nec quaenam essent lites intelligendae nec quae esset verbi *Ιλασσούμεναι* vis satis in aperto erat. Nos, omissis aliorum opinionibus, ex ipsis Thucydidis verbis id efficere conabimur, quod inesse in iis videtur. Quo tempore societas Atheniensium constituta est, quae non paucas civitates sed magnum urbium numerum in unum jungebat, institutis opus erat, quibus commercium, quod inter civitates illas ortum est, regeretur et ab injuriis prohiberetur, maxime vero foro quodam, in quo lites privatae, quae essent inter duarum urbium cives, disceptarentur ac decernerentur. Id autem forum Athenis constitutum, quo omnes undique negotiandi causa convenirent, mirum esse non potest. Nam de collegio judicum, quale Grotius nuper indagavit, ex complurium urbium civibus composito, equidem nescio quid existimandum sit. Jam vero ejusmodi lite instituta verisimile est ab Atheniensibus sociorum commodis ita esse consultum, ut cives ipsi illis posthaberi viderentur. Veluti ne illae lites per diuturnum tempus traherentur, certum puto praesinitum esse tempus, intra quod judicium fieret. Quod si ita erat, in eo, quod peregrinis odiosum videri poterat, Athenienses deteriore se conditione uti existimabant, quod idem certi temporis beneficium sibi non concessum esset. Ergo *Ιλασσούμενοι* verbum suo significatu accipiendum censeo. Et hoc quidem primum moderationis argumentum: alterum vero illud est quod res sociorum apud eosdem judices et

ex iisdem legibus decernebantur, quibus ipsi Athenienses utebantur. Quae res quanti fuerit, si nos parum intelligimus, ii haud dubie sentiebant, coram quibus haecce dicebantur, maxime vero ipsi Lacedaemonii, apud quos jure agendi peregrinis nulla fortasse facultas erat. Quare equidem *καὶ* illud, quod Kruegerus nuper uncis inclusit, retineo. Omissa enim hac particula, eo ipso Athenienses dicerent sese damnum accipere, quod sociis idem jus, idem judicium concederent: sed hoc quidem contumeliose ac superbe dictum esse, nemo ignorat. Quamquam vero Athenienses haec moderationis documenta dedere, tamen φιλοδικεῖν putantur i. e. litigiosi esse. Hoc vero, quantum equidem video, plane absurdum est. Quomodo enim Athenienses, si lites socrorum Athenis, non in illorum urbibus decerni jussérunt, videri litigiosi possunt? Huc accedit, quod toto hocce loco vis injusta, non litium cupiditas iis criminis dari dicitur. Ipsi Athenienses I. 76 praedicant se δικαιοτέρους ἢ κατὰ τὴν ὑπάρχουσαν δύναμιν γεγενῆσθαι; alias monstruos fuisse, quantopere μετριότερουσιν; et sic per totum illud, quod sequitur, caput aequitatem suam injuriae, quam vel ipsis facere licuisset, opponunt. Quid multa? scribamus φιλαδικεῖν, quod verbum, quamquam non reperitur alibi, si fides est Henrico Stephano habenda, tamen ipsum per se nulli offensioni esse poterit, ad sententiam vero unice aptum est.

Thuc. I. 77. ἀδικούμενοί τε, ὡς ἔοικεν, οἱ ἄρχοντοι μᾶλλον ὁργίζονται ἢ βιαζόμενοι τὸ μὲν γὰρ ἀπὸ τοῦ ἵσου δοκεῖ πλευρεῖτεῖσθαι, τὸ δὲ τὸ κρείσσονος καταναγκάζεσθαι. Manifestum est, ἀδικούμενοι et βιαζόμενοι inter se opposita esse, et quoniam hoc quidem de vi illata dictum est, alterum illud de injuria alia ratione facta intelligendum esse. Sed qui meminerit, quoties apud Thueydidem verbum ἀδικεῖν, ἀδικεῖσθαι ita dictum inveniatur ut vim armis illatam significet, is, etiamsi concedat ejus universalem quandam vim esse ac notionem, tamen dubitabit num illis verbis res contrariae, de quibus agitur, describi potuerint. Adde quod Atheniensium legati causam suam male tuentur, quum ipsi confiteri videntur, esse quod socii de injuria accepta queri possint, quamquam vis manifesta non sit adhibita. Longe enim aliud est quod supra dixerunt, ἤν τι παρὰ τὸ οἴεσθαι χρῆναι — καὶ ὥπασον ἐλασσωθῶσιν. Hoc enim loco nequaquam agitur de detramento aliquo, quod vel judiciorum sententia vel ea, quam Atheniensibus imperium praebeat, potentia accipient, sed de dignitate, quam socii inferiorem habeant. Aegre enim ferunt, se γνώμην i. e. consilio, in consultatione vel δυνάμει i. e. potentia ea, quae ex imperio profluit, in deteriore conditione esse, quum laetari deberent, se non omnino, lege abjecta et repudiata, per violentiam tractatos esse. Ergo ἐλασσοῦσθαι verbi hic quoque eadem est vis, quae supra, eaque etiam magis rētinenda mihi videtur, quod ita τὸ ἐλασσοῦσθαι et τὸ ἀπὸ τοῦ ἵσου ὅμιλεῖν sibi praclare respondent. Quae si recte explicata sunt, eo minus dubitari potest, quin ἀδικούμενοι illud, a quo huc disputatio-

digressa erat, perversum judicandum sit: pro quo jam, ne multis te morer, offero tibi δικαιόμενοι, quod passive dictum vel vulgaria lexica repraesentant. De sententia nihil est quod addamus: omnia enim perspicua sunt. Sed de iis, quae sequuntur, panca quaedam adjicienda sunt. τὸ μὲν γὰρ ἀπὸ τοῦ ἵσου, inquit Thucydides, δοκεῖ πλεονεκτεῖσθαι, τὸ δ' ἀπὸ τοῦ κρείσσονος πατεραγ-  
κάξεσθαι. In hisce verbis ἀπὸ τοῦ ἵσου et ἀπὸ τοῦ κρείσσονος pro masculinis ac-  
cipro, non pro neutris. Nam si recte monitum est, ἀπὸ τοῦ ἵσου non inveniri  
nisi passivi significatione, ergo etiam κρείσσονος pro neutro habendum esse, non  
minus recte respondebimus, ἀπὸ τοῦ κρείσσονος ea quidem sententia ut significet  
statum vel conditionem, qua alter altero superior sit, vix dici potuisse: ergo  
etiam ἀπὸ τοῦ ἵσου masculinum esse. Sed praeterea conjungo τὸ ἀπὸ τοῦ ἵσου,  
τὸ ἀπὸ τοῦ κρείσσονος, id quod quis a pari vel a superiore patitur. Sic enim,  
quoniam qui lite contendunt inter se pares sunt, τὸ ἀπὸ τοῦ ἵσου ad id damnum  
pertinebit, quo quis in judicio afficitur, τὸ δ' ἀπὸ τοῦ κρείσσονος ad injuriam vi  
illatam. Jam ut Germanice exprimamus id quod Thucydides ait „denn das, was  
man von dem Gleichstehenden erleidet, erscheint als uerträgliche Uebervorthei-  
lung; dagegen was von dem Stärkeren kommt, als eine Gewalt, in die man  
sich mit Geduld finden und schicken muss.

Thuc I. 74. legati Atheniensium in summo illo Graecarum rerum dis-  
crimine tria dicunt sese praebuisse, quae ad salutem plurimum contulerint, pri-  
mum ἀριστὸν τεῖν πλευτον, deinde ἄνδρα στρατηγὸν ξυνεπτατον, denique προσυ-  
μένων ἀοχνοτάτην. De navium numero aequa ac de Themistocle duce paucis agit:  
pluribus de animo ad proeliandum parato. Jam pergit: ὥστε φαμὲν οὐκ ἡσσον  
αὐτοὶ ὠφελῆσαι ὑμᾶς η τυχεῖν τούτου. Quum de nullo nisi de Atheniensibus et  
virtute eorum sermo fuerit, causa non appareat propter quam αὐτοὶ adjectum sit.  
Sed lenissima medela licebit hunc locum sanare, si scribas: ὥστε φαμὲν οὐκ ἡσσον  
ὠφελῆσαι ὑμᾶς η αὐτοὶ τυχεῖν τούτου. Ipsi, inquiunt illi, sane salutem invenimus,  
neque vero minus vobis adjumento et praesidio fuimus. Haec tamen emendatio  
quam certissimam puto, animum nostrum ad alium locum convertit, qui paullo  
infra sequitur. Εὐτεσώσαμεν, inquiunt legati, ὑμᾶς τε τὸ μέρος; καὶ ἡμᾶς; αὐτοὺς;  
Cujus loci si vera est interpretatio, quam nunc omnes probant, ut sit τὸ μέρος  
unserem Anteihil, unsern Kräften nach, modestiam Atheniensium satis  
mirari nequeo. Hoc enim dicunt, tantum se quantum in ipsos cadebat ad La-  
cedaemoniorum salutem contulisse, non igitur officio suo defuisse. Sed, nisi fal-  
lor, amplius quid haec verba sonant. Praeclara nostra virtus fuit: nec enim so-  
lum nobis ipsis salutem procuravit, sed etiam vos vestram illius partem perce-  
pistis.. Ergo τὸ μέρος non eam partem significat, quae Atheniensium fuerit, sed  
eam partem, quae ad Lacedaemonios redundaverit. Haec qui probaverit, jam  
nec dubitabit, cur τὸ μέρος proxime adjunctum sit pronomini ὑμᾶς. Causa erro-  
2

ris fuit quod interpres existimaverunt τὸ μέρος necessario ad subjectum verbi ξυνεσύσαμεν trahendum esse. Nam si verbo perfruendi usus Thucydides ita dixisset: nec vero nos solum sed etiam vos τὸ μέρος fructum virtutis nostrae perceperitis, vera scriptoris sententia primo conspectu cognita esset. Sed, quamquam supervacaneum est rem perspicuum exemplis illustrare, comparetur tamen locus simillimus I. 127 οὐ μέντοι τοσοῦτον ἦπιζον παθεῖν ἀν αὐτὸν τοῦτο ὅσον διαβούλησιν αὐτῷ ποδὸς τὴν πόλιν ὡς καὶ διὰ τὴν ἐκείνου συμφορὰν τὸ μέρος ζεῖται ὁ πόλεμος, quo quidem loco τὸ μέρος ad ἐκείνου referendum esse manifestum est.

Jam facili opera alium locum expedibis, cujus sententia quum nuper a viris doctis, qui hanc Thucydidis partem pertractaverunt, optime explicata sit, in verbis tamen foedissimum mendum reliquerunt. Ait enim Thucydides I. 73. καὶ γὰρ ὅτε ἐδρῶμεν, ἐπί ὥρελίᾳ ἐκπιδυτεύετο, ἵς τοῦ μὲν ἔργου μέρος μετέχετε, τοῦ δὲ λόγου μὴ πατέτε, εἴ τι ὥρελετ, σπερισκώμεθα. Non ignoro esse scriptorum Graecorum locos, in quibus ejus modi verba, quale est μετέχειν, μετωπιζόμενοι μετεῖναι cum Accusativo vel Nominativo conjuncta sint; sed ratio eorum locorum alia est atque ejus, de quo nos agimus et dubito vehementer, num μετέχειν μέρος nullo adjectivo addito, unquam dictum sit vel dici potuerit. Nam qui μετέχει, semper μέρος μετέχει. Sed de his grammaticis rebus ambigere hic nolo: illud potius moneo, sententiam admodum jejunam evadere, legati si nihil aliud dicant nisi partem aliquam suae virtutis etiam Lacedaemoniis obtigisse. Jimmo vero hoc dicunt, etiam Lacedaemonios utilitatis suam partem accepisse. Quid multa? scribamus: ἵς τοῦ μὲν ἔργου τὸ μέρος μετέχετε. Quo praeterea efficitur ut, aequabilitate orationis ne minime quidem turbata, τοῦ μὲν ἔργου — μετέχετε conjugere licet, ut τοῦ λόγου — σπερισκώμεθα conjuncta sunt.

Sed quoniam in hisce libri nostri partibus versamur, licet nobis conjecturam proponere, qua probata oratio Thucydideae similior fiet. I. 74. Θεωροῦσάν δὲ ἀρχοντα (si licet παρεσκόμεθα) δις αἰτιώτατος ἐν τῷ στενῷ ναυμαχίσαι ἐγένετο, ὅπερ συφέστατη ἔσωσε τὰ πολύματα καὶ αἰτοί δὲ τοῦτο δὴ μάλιστα ἐπιμήσατε ἄνδρα. Inserta enim δέ particula fit, ut καὶ αὐτοί, etiam ipsi significet, quo Lacedaemoniorum judicium consentienti ceterorum opinioni adjungitur.

Sed ut transeamus ad alium locum, de quo concedo non firmam mihi stare sententiam, apud Thuc. I. 68. Corinthii dicunt οὐ γὰρ ἀν Κέρκυράν τε ὑπολαβόντες βίᾳ ἡμῶν εἶχον καὶ Ποτίδαιαν ἐποιόρκουν κ. τ. λ. Quae verba quum diu sine ulla suspicione legisset, nuper collega, cum quo de ejusmodi rebus confabulari mihi licebat, me admonuit, quam languida ac jejuna ea esset sententia, quae in verbis βίᾳ ἡμῶν inesset. Quasi vero exspectandum fuisset, ut Corinthii sua sponte Atheniensibus eam insulam permitterent, eaque de causa affirmarent, βίᾳ αὐτῶν, sese invitis, Athenienses illam tenere. Res illico animum

percussit, breveque eo perveni, ut viderer mihi mendum, quod esset in iis verbis, conspicere. Nisi enim fallor, Thucydides scripsit ἡμετέραν οὐσίαν εἰχον, pro quo quum οὐσίαν excidisset, propemodum necesse fuit, ἡμῶν εἰχον scribi, ut βίᾳ ἡμῶν arce inter se cohaerere possent. Quae tamen mutatio ne cui audacior videatur, moneo ἡμετέραν hand dubie per compendium scriptum formae ἡμῶν adeo simile fuisse, ut altera forma in alteram transire fecillime posset. Quae si non sine specie quadam veri disputata sunt, non immerito Corinthii graviter conqueruntur, quod Athenienses urbem, quae ipsorum esset, vi praereptam teneant. Quod autem inserere οὐσίαν ausi sumus, non pauci sunt libri nostri loci, in quibus idem participium ita omissum est, ut, si quis certo quodam orationis Graecae sensu ducatur, vix ferendum existimare debeat. Quare etiam I. 73. scripserim παρὰ δικαιωταῖς ὑπὸ οὖσιν οἵτε ἡμῶν, quo loco causa etiam appareat, cur excidere potuerit, et I. 136 καὶ γὰρ ἀν ὑπὲκεινου πολλῷ ἀσπειστερος ὅν ἐν τῷ παρόντι κακῷ πάσχειν. Sed quaeritur praeterea, quaenam verbi ὑπολαβεῖν vis esse videtur. Kruegerus quidem sed non sine dubitatione, ita existimavit, significari eo, quod non aperte sed clam et quasi in obscuro fieri dicatur. Quae si vera esset sententia, in Athenienses quidem illud ὑπολαβεῖν non eaderet: nam propanam et pugnando Corinthiis Coreyram eripuerunt. Ita potius censeo, dici aliquem ὑπολαβεῖν, si eum, qui ad finem quempiam contendat, quasi praevertat remque expeditam ei subtrahat. Sic de iis dicitur, qui remiges ab Atheniensibus arcessitos in ipso itinere ad se avertunt. Sic hoc, de quo agimus, loco Corinthii in eo sunt ut Coreyra potiantur: Athenienses vero in medio cursu eos anteverunt et ipsi eam occupant. Jam vero utrum βίᾳ cum ὑπολαβόντες aut cum εἰχον conjungere malis, arbitrio tuo permitto: quamquam equidem alteram rationem praetulerim.

Paullo infra I. 71. iidem Corinthii objurgant Lacedaemonios quod putent τὴν ἱστορίαν οἱ τούτοις τῶν ἀνθρώπων ἐπὶ πλευστον ἀρκεῖν οἱ ἀν τῇ μὲν παρασκευῇ δίκαια πράσσωσι, τῇ δὲ γνώμῃ ἣν ἀδικῶνται, δῆλοι ὅσι μὴ ἐπιφέροντες, ἀλλ ἐπὶ τῷ μὴ λυπεῖν τε τοὺς ἄλλους καὶ αὐτοὺς ἀμυνόμενοι μὴ βλάψασθαι τὸ ἵσον νέμετε. Opposuere Corinthii, quid Lacedaemonii, si recte ac sapienter agere vellent, facere debuissent et quid re vera fecissent: quoque magis animos eorum moveant in verbis τὸ ἵσον νέμετε. Indicativo modo qui praesens rerum status sit ob oculos ponunt. Sed videamus, quid sit quod illi facere dicuntur. τὸ ἵσον νέμετε prope idem est quod libertatem graecarum civitatum tuemini, cuius quidem vindices se ferebant: haec enim videbatur libertas esse, si suo quisque jure uteretur. Apud alios τὰ δίκαια eo significatu dictum est. Hujus vero muneric nimis angustos fines sibi circumdedere. Satis enim habent, si ipsi alios injuria non afficiant et si ipsi in defensione damnum non accipiant. Alterum perspicuum,

alterum, ut mihi quidem videtur, omnino absonum est. Nam si haec est Thucydidis sententia, hoc cavent Lacedaemonii ne in defensione jacturam ullam faciant. Ergo, si damna in propulsanda injuria timenda sunt, injuriam non prohibent? An vero credibile est tale quid cogitari potuisse? Sed omnia plana et apta invenies, si modo verba recte intellexeris. Nam quum utrumque Graece dici posset, τὸν νέμεται εἰπεῖ τῷ μὴ λιπεῖν τοὺς ἀλλούς, et τὸν νέμεται αὐτοὶ ἀμυνόμενοι μὴ βλάπτεσθαι, hasce duas structuras conjunxit. Sententia vero sic quidem praeclarata prodit: ita libertatem Graecorum tuemini ut neque injuriam ullam inferatis, et ipsi caveatis ne damnum accipiatis. Alterum quidem illud admodum laudabile est, alterum vero non sufficit, nisi ab illis, qui injuriam primi fecerint, justas poenas expetiveris. Variatae constructionis vix opus est exempla proferri.

Sed si huic loco vera demonstrata constructione aliquid lucis attulimus, verbis, quae sunt apud Thuc. I. 84. πολύ τε διαφέρειν οὐ δεῖ νομίζειν ἀνθρώπους ἀνθρώπου, κράτιστον δὲ εἶναι, ὅστις ἐν τοῖς ἀναγκαιοτάτοις παιδεύεται uno vocabulo rectius explicato praeclaram sententiam reddemus. Nihil attinet, quid de voce ἀναγκαιοτάτοις interpres judicaverint, hic repetere. Archidamus enim hoc agit, ut persuadeat Lacedaemoniis animisque eorum penitus infigat, ne Atheniensibus minus prudentiae inesse putent neve illorum vitiis nimium confidant. Non esse tantum inter homines discrimen, quantum vulgo credatur esse, κράτιστον δὲ εἶναι ὅστις ἐν τοῖς ἀναγκαιοτάτοις παιδεύεται i. e. maximas et non exspectatas vires in eo esse, qui necessitate extrema cogatur omnia quae in ipso sint subsidia promere. Hoc igitur ait Archidamus: eavendum esse Lacedaemoniis, ne Athenienses ad extremum discrimen deducant. Quod quam vere dictum esset, extrema belli Peloponnesiaci pars docuit, in qua licet succubuerint Athenienses, tamen vel viribus vel virtute omnium exspectationem superaverunt.

Sed quoniam incidi in hoc caput multis ac magnis difficultatibus intricatum, alium ejus locum expedire conabor. Εὔβουλοί ἔμενεν, inquit Archidamus, παιδεύμενοι — μὴ τὰς τῶν πολεμίων παρασκευὰς λόγῳ καλῶς μεμφόμενοι ἀνομούσῃς ἔργῳ ἐπεξιέναι, νομίζειν δὲ τὰς τε διαινοίας τῶν πέλας παραπλησίους εἶναι καὶ τὰς προσπιπούσας τέχνας οὐ λόγῳ διαιρετάς. Verba, quae citavimus, ita apparet inter se convenire, ut alterum membrum interpretationi alterius partis inservire possit. Itaque inter se opposita sunt τὰς τῶν πολεμίων παρασκευὰς et τὰς διαινοίας τῶν πέλας item λόγῳ καλῶς μεμφόμενοι et νομίζειν παραπλησίους εἶναι. Sed fortasse monendum est, τὰς παρασκευὰς nequaquam de apparatu bellico intelligendas esse, sed omnia complecti, quibus aliquis ad bellum sese praeparet; fieri ergo posse, ut alio loco magis externae illae opes et copiae ad pugnandum necessariae

respiciantur, alio animus ipse fortis et ad audiendum paratus. Veluti I. 71. οἱ ἄντες τὴν μὲν παρασκευὴν δίκαια πρόσωποι, haec altera animi præparatio significata est. Sequitur jam, ut ei quod antecessit ἔργῳ ἐπεξέρεται conveniat quod hie additum vides: τὰς προεπιπούσας τύχας οὐ λόγῳ διαιρετές, id est, ut utробique de actione sermo esse videatur. Rectissime igitur Kruegerus verbum querendum sibi putavit, in quo hoc inesset, casus belli non verbis regi ac superari, erravitque Carolus Sintenis scribens διαιρέτως, hac videlicet sententia, de casibus belli nihil certi verbis decerni posse. Sed ista quidem notio, ut est necessaria, ita tamen non est in verbo διαιρέτην; nec vero placet, quod Kruegerus proposuit, διαιρέτης. Evidem unum video, quo confugamus, καθαιρέτης.

Eodem capite I. 84. Archidamus Lacedaemonios monet, ne eos earum rerum pudeat, quae a Corinthiis ipsis criminis datae sint. Namque τὸ βραδὺ καὶ μέλλον, quod illi vituperent, ne inutile quidem sibi fuisse. Primum enim, qui minus considerate rem aggrediantur, minus celeriter eo pervenire, quo contendant; deinde vero illi ipsi rei libertatem civitatis et existimationem deberi, καὶ δέναται μάλιστα σωφροσύνη ἐμφῶν τοῦτο εἶναι. Vix opus est, ut contortas horum verborum explicaciones hic recenseamus. Nam quum Thucydides saepius notiones, quae idem valeant, inter se permuted ut paullo infra factum videmus αἰδώς σωφροσύνης πλεῖστον μετέχει, αἰσχύνης δὲ εὑψυχία, dubium esse non potest quin σωφροσύνη ἐμφῶν locum ejus, quod ante τὸ βραδὺ καὶ μέλλον dixit, teneat. Quod si cui persuasum est, is sine mora ita existimabit, quum non, quid sit τὸ βραδὺ καὶ μέλλον, sed quid efficiat, quaestio sit, pro τοῦτο εἶναι esse τοῦτο ποιεῖν scribendum, i. e. efficere, ut urbs nostra libera et laude digna sit.

Apparet ex his, quos adhuc tractavimus, locis, quot quantisque difficultibus lectio et interpretatio Thucydidis obstructa sit: neque immerito dixeris, in orationibus maxime historiae rerum gestarum immixtis nullum omnino posse gradum fieri, nisi summa diligentia et quasi sollicitudine scribendi. Quod quoniam intelligatur, transeamus ad locum quendam ex ea oratione, quae a Corinthiis Lacedaemonē habita fertur.

Καὶ Δῆμα, inquiunt illi, I. 70, εἴπερ τοὺς καὶ ἄλλους, ἀξιοὶ νομίζομεν εἶναι τοῖς πέλασι ψόγον ἐπενεγκεῖν, ἄλλως τε καὶ μεγάλων τῶν διαφερόντων καθεστώτων et quae sequuntur. Quaenam διαφέροντα illa intelligenda sint, nuper ab hominibus doctis accurate expositum est. Sed utecumque de ea re judicaveris, διαφέροντα illa non possunt tamen pro sola et primaria causa haberi, propter quam Corinthii dignos sese existiment, qui τοὺς πέλασι objurgent: immo vero verbis ἄλλως τε καὶ manifestum est, a primaria illa causa ad aliam non minus gravem ac fortasse

etiam graviorem transitum parari. Jam si, omissis his, quae sequuntur, priorem causam quaerere velimus, in verbis καὶ ἄμα, εἴτε τινὲς καὶ ἄλλοι, ἀξιοί τοις πέλας ψόγον ἐπειργεῖν nihil inest quo ad eam adduci posse videamus: nisi forte Corinthii hoc sibi laudis tribuere videbuntur, ut quasi conscientia suarum virtutum hoc sibi assumant. Ego vero concedo, Corinthios satis honorifice de semet ipsis judicasse: sed Thucydides istam opinionem non satis habuisset uno verbo proponere sed argumentis ac testimoniis idoneis demonstrare. Huc accedit, quod nec verba τοῖς πέλας habent, quo satis nobis commendentur. Nam οἱ πέλας apud Thucydidem non sunt finitimi, sed ii quibusunque tibi res est, sive amici illi sive hostes sunt. Sic vel alias locus V. 1. ἐγώ τε δείξω οὐ παραινέσσαι οἶδες τε ὃν μᾶλλον τοῖς πέλας ή καὶ αὐτὸς ἔργῳ ἐπεξελθεῖν explicandus nobis videtur. Ergo quum οἱ πέλας non eos homines significant, quibuscum singulari quodam vineculo junetus sis, ne in his quidem quidquam est, ex quo intelligatur, cur Corinthii ἀξιούς sese judicent ψόγον ἐπειργεῖν. Sed in hoc tamen ipso id inest, quod ego quidem verum censeo, τοῖς φίλοις. Nam si ita scripsit Thucydides, Corinthii dicunt, dignos sese esse, qui Lacedaemonios objurgent, primum quidem amicitiae jure, deinde quod magnum inter Lacedaemonios et Athenienses disserimen obtineat, quod ignorare adhuc illi videantur, certe, quanti momenti sit, parum pensi habuisse.

Jam in iis, quae sequuntur, comparatio inter Athenienses et Lacedaemonios ita instituta est, ut ea, quae in hac parte proposita sint, iis, quae sint axadversum, quasi ad amussim respondeant: qua ex convenientia etiam ad interpretationem aliquid percipi fructus posse in aperto est. Sic Athenienses νεωτεροποτοί vocantur, Lacedaemonii vero τὰ ὑπόχοντα σοβάςιν dicuntur: illi porro ἐπινοῆσαι οὖσι, hi ἐπηγνῶναι οὐδέν: illi denique ἐπιτείέσαι ἔργον ὃ ἀν γνῶσιν, hi οὐδὲ τὰραγητὰ ἔξεσθαι. Sic in iis, quae proxima sunt, Athenienses παρὰ δέναυιν τολμηταί vocantur, Lacedaemonii τῆς δινάμεως ἐνδεῖ πρᾶξαι dicuntur: illi παρὰ γνῶμην παρδενεταί sunt, hi τῆς γνῶμης οὐδὲ τοῖς βεβαίοις fidem habent: illi denique ἐτὶ τοῖς δεινοῖς εἰλέπιδες feruntur, hi τῷ δεινῷ οὐδέποτε ἀποικίσθεαν οἷονται. Atque in his quidem quin progressus quidam actionis descriptus sit, dubitari nequit. Prima enim pars ad consilium agendi pertinet, qua Athenienses ea suscipere dicuntur, quae vires eorum exsuperent, Lacedaemonii vero minora moliri, quam vires eorum patiantur: extrema vero pars in ipsa discrimina rerum atque calamitates, quae bellum sequuntur, nos vocat: quibus in periculis Atheniensium animum nunquam despondent, Lacedaemonii vero desperant, unquam se ex illis emersuros esse. Necesse est, in medio membro id temporis momentum descriptum esse, quod et succedat consilio et praecedat discrimen illud, hoc est quo in media esse actione videantur. Hoc vero satis perspectum esse debet, ut

in interpretatione singulorum verbum recte agere possis. Primum enim id, quod Thucydides dicere voluit, non efficitur, nisi pro ἐπὶ τοῖς δεινοῖς scribamus ἐν τοῖς δεινοῖς. Quales enim sint ἐπὶ τοῖς δεινοῖς, satis videtur significatum altero membro quo vocantur παρὰ γνώμην καθευεται: hoc agitur ut videamus, quales in media calamitate sese praebeant. Ipsique Lacedaemonii in eo membro, quod exadversum est, intelligendi sunt, non priusquam pericula adeant, sed quum in periculis sint, timere, ne unquam ex illis salvi emergant. Praeterea vero παρὰ γνώμην quod est in altera parte, inane quiddam est, si sit „contra quam principio deliberatum ac decretum est“, ut Kruegerus dicit „bei der Ausführung gehen ihre Anstrengungen noch über ihre ursprünglichen Entschließungen hinaus.“ In hoc quidem reprehensionis nulla species est, immo vero non parva laus: quamquam qui παρὰ δύναμιν τολματίς et ἐν τοῖς δεινοῖς εὐελπίς dicitur, levitatis crimen non effugit, ut ex altera parte Lacedaemonii tarditas quaedam et inertia animi opprobrio datur. Adde quod, ita si interpreteris, id quod ex altera parte in Lacedaemoniū reprehenditur, parum cum haec Atheniensium laude convenit. Sed, nisi fallor, aliter de hoc loca agendum. Γνώμη enim ut γνῶναι ex iis verbis est, quae vel ad judicium vel ad voluntatem et consilium pertineant et ex altera in alteram animi partem transire videantur. Athenenses igitur quum καθευεται παρὰ γνάμην dicuntur, audaces dicuntur ultra quam quisquam existimet rem prospere succedere posse, ultra sanam ac verisimilem rationem. Contra Lacedaemonii ne iis quidem confidere dicuntur, quae bene ponderata sint. Sic γνώμη non tam consilium captum sed ratiocinationem ac verisimilitudinem significare videtur. Sed nolo hunc locum omittere, quin moneam, non sine causa Thucydidem in altera comparationis parte videri παρὰ γνώμην sine Articulo scripsisse, in altera vero, addito articulo, τῆς δυνάμεως, τῆς γνώμης. Nam qui eum modum excedit, quem vel vires, vel sana mens praescribunt, is quasi firmum ac stabile agendi fundamentum perdidit: qui vero citra eos fines consistit, quae est Lacedaemoniorum conditio, ei recte inculcari videtur, esse proprias vires et certainam rationem, quae eum majora suscipere et audere jubeant.

Verum haec disputatio ad aliud locum, qui est in proximo, nos vocat. Athenenses enim, ut est in eodem capite, τοὺς μὲν σώμασιν ἀλλοτριωτάτους ὑπὲρ τὴς πόλεως κρατῶται, τῇ γνώμῃ δὲ οἰκειοτέρῃ ἐφ τὸ πόδασσεν τι ὑπὲρ αἰτῆσ. Quo quidem loco, qui error facilis erat, σώματα et γνώμη ita inter se opposita existimata sunt, ut alterum ad corpora, alterum ad animos pertineret. Sed hacc explicatio ut et aliis dubitationem meritam movit, ita mihi omnino rejicienda et improbanda videtur. Quid enim esse causae dicamus, cur τὰ σώματα plurali numero dixerit, τῇ γνώμῃ non item? Nam quot corpora, totidem animos esse dixeris. Adde quod ἡ γνώμη animum, qui quidem corpori oppositus esse et quasi alteram hominis

partem efficere videatur, omnino non denotat. Nam recte dici posse τοῖς σώμασι τῇ γνώμῃ πρότερον τι negare nolo, sed hic non ipsum animum, sed facultatem quandam animi intelligi manifestum est. Sed si maxime voci γνώμῃ haec esset vis, quam interpres parum considerate esse voluerunt, ipsa tamen sententia aliqua ex parte claudicaret. Quid enim? Athenienses corpora veluti abjicienda putant, quasi non sua sint, sed aliorum; animos vero proprios maxime habent; quasi vero non corpus aequa atque animus rei publicae addicendum et consecrandum aut corporis viribus minus quam animi opus sit ad rempublicam servandam et augendam. Nam corporum et animorum ista quidem ratione nullum discrimen est: eodem prorsus modo, si ita velis, ἀλλοτριώτατα eodem οἰκειότατα habenda sunt. Sed has tantas molestias effugere non difficili opera licet, si meminerimus, verbi χωνταὶ singulos Athenienses, sed rem publicam ipsam ac civitatem Subjectum esse: ut in iis, quae proxime antecesserunt, ἐξέρχεοται et ἀριστίτειν non singuli, sed Athenienses omnes dici videntur. Hi ergo Athenienses τοῖς μὲν σώμασιν ἀλλοτριώτατης χωνταὶ ὑπὸ τῆς πόλεως, parum curant, quot hominum jactura facienda sit: homines enim, quasi non ipsorum haec jactura sit, profundunt; ut dicam Germanice „auf Menschenleben kommt es ihnen nicht an;“ contra vero τῇ γνώμῃ οἰκειότατη χωνταὶ, i. e. consilium suum efficere student ardentissime; voluntatis enim, quasi haec demum propria ipsorum sit, tenacissimi sunt, quotiescumque id agitur, quod reipublicae salutare sit. Ergo antithetica ratione id expressit, quod simplicius dicere poterat: hominibus non parcunt, dummodo id efficiant, quod velint.

Hic locus si recta interpretatione explicari poterat, alio loco, quem iterum judicio virorum hoc in genere doctorum subjicio, ad emendandi periculum confugiendum esse censeo. Nam I. 37 Corinthii ita dicunt: καὶ τούτῳ τὸ εὐπρεπὲς ἄσπορον, οὐκ ἵνα μὴ ἔνυδασκάσωσιν ἐπέροις, προβέβληται, ἀλλ ὅπως κατὰ μόνις ἀδικῶσι, καὶ ὅπως ἐν φῷ μὲν ἀν κρατῶσι βιάζονται, οὗ δὲν λάθωσι πλέον ἔχωσιν, ἦν δέ πού τι προσλέψωσιν ἀναισχυρώσιν. Primum sive καὶ τούτῳ sive καὶ τούτῳ scribendum putas, ante verba οὐκ ἵνα inserendum existimo ḥ, quo interjecto oratio planior evadit, et ipsa illa lectionis discrepantia quomodo oriri potuerit magis intelligitur. Quamquam de eo suo quisque arbitratu judicabit. In iis vero, quae sequuntur quasi triplex conditio eorum, qui injuriam aliis inferant, proponitur: prima eorum qui κρατῶσιν, altera eorum qui λατάρονται, tertia eorum qui aliquid προσλαμβάνονται. Jam vero quaenam prima et secunda intelligendae sint, luce clarus est: tertia quaenam esset, etiam Kruegero dubium fuit, qui ea, qua solet, verecundia de sententia hujus loci pronuntiare dubitavit. Nam si primo et altero loco is, qui injuriam infert, vel vi aperta vel alia ratione lucrum facere dicitur, tertio loco profecto non potest is, qui aliquid in suum commodum

traxit, duobus illis, qui antecesserunt, adjici. Adde quod verbis ἦν δέ πού τι significatur, raro et rarissime illud factum esse, de quo hic sermo est, id est, raro Coreyraeos ejusmodi quaestum fecisse. Quod quidem si Corinthii dicunt, id dicunt, quod ipsorum consilio adversum et contrarium est. Ergo si haec quidem sententia omnino perversa est, periclitemur si alia ratione id invenire possumus, quod verum est. Coreyraei igitur, quum injuriam faciunt, vel vim affrent apertam et sine ullo pudore victoria utuntur: et hoc primo loco dictum est, οἵτως ἐν φύσει ἀνταπόστολοι βαρβαροί: vel insidiis ac dolo malo eum in finem utuntur: quod est in altero membro, οὗ δὲ λάθος, πλέον ἔχωσι. Sed fit etiam, quamquam perraro, ut res minus prospere eveniat: quod si acciderit, impudenter agere iis licet, si socii non adsint. Et haec, quam modo demonstravi, via, quantum equidem video, sola est, qua hic locus expediri possit. Ergo scribe: ἦν δέ πού τι ἀποσφύλωσιν. Fortasse tamen etiam aliud mendum in his verbis est, quod quasi praeteriens tollere conabor. Verbum πλέον ἔχειν, quod haud dubie idem significat ac πλεονεκτεῖν, tum verbo κρατεῖν, tum verbo βαρβαροῦ oppositum esse potest. Sed, nisi fallor, non hoc animis Coreyraeorum propositum est, quanam ratione suis commodis prospiciant, sed quid commodi futurum sit, si socii nulli adsint. Ergo ubi palam superiores agunt, vim adhibere possunt, ubi alia ratione injurias inferunt, volunt in obscurō esse: quare vide annon, mutato loco, scribendum videatur: οὗ δὲ πλέον ἔχωσι, λάθοσι.

Alius est Thucydidis locus, ad quem transire nobis liceat I. 86. Sthene-laidas Ephorus Lacedaemoniorum quum alia praeclare tum haec dixit, ἄλλοις μὲν γὰρ κρήματα δοτοῦ ποιῶσι καὶ τῆς καὶ ταποι, ἡμῖν δὲ εὑμαρχοὶ ἀγαθοί, οὓς οὐ παραδοτέα τοῖς Αθηναίοις ἔστιν, οὐδὲ δίκαιοι καὶ λόγοις διακριτέα, μηδὲ λόγῳ καὶ αὐτοὺς βλαπτομένους, ἀλλὰ τιμωρητέα ἐν τάχει καὶ πατεῖ σφένει. Kruegerus Pronomen αὐτούς ad Lacedaemonios rettulit, et Accusativum scriptum esse censuit, quasi non Gerundium παραδοτέα et διακριτέα sed δεῖ scriptum esset. Sed, nisi omnia me fallunt, extirpes verba οὐδὲ δίκαιοι καὶ λόγοις διακριτέα: nemo haud dubie inficiabitur, verba μὴ λόγῳ καὶ αὐτοὺς βλαπτομένους annexa esse Pronomini οὖς et pertinere ad socios Lacedaemoniorum, praesertim quum verba, quae proxime sequuntur, ἀλλὰ τιμωρητέα ἐν τάχει καὶ πατεῖ σφένει eodem spectent. Et profecto in omnibus illis, quae Lacedaemoniae habitae sunt, orationibus nulla mentio facta est damni, quod ipsi Lacedaemonii acceperint, sed injuriarum sociorum. Quare sic censeo, βλαπτομένους referri oportere ad οὖς, verba οὐδὲ δίκαιοι — — διακριτέα vero in medio interposita esse, quo praepararetur id quod statim sequitur, scilicet socios non verbis violatos esse, ergo nec verbis et litibus de corum injuriis disceptari debere. Sed practerea confiteor in Pronomine καὶ αὐτούς esse aliquid, quo conturber. Nam καὶ αὐτούς personam personae opponit: hoc vero,

de quo agimus, loco notiones διακρίνεσθαι et βλαπτεσθαι inter se oppositae cogitandae sunt. Non verbis illis subveniendum est, quoniam ne violati quidem verbis sunt. Personae, ut nos quidem locum interpretamur, eadem manent. Adde quod, quum δίκαιος καὶ λόγοις ante dictum sit, mirum videri debet, Thueydidem unum tantum habuisse verbum, quod illis duobus responderet. Non enim ita noster verbis parcere solet, ut proportio laedatur. Sed fortasse altera haec, quam requirimus, vox latet in illo καὶ αὐτοῖς, quo offendi nos diximus. Et profecto si res ita sese habet, ut hic aliquid mancum, illic vero inutile sit, excusandi sumus, si scribere audemus: μὴ λόγοις καὶ αἰτίαις βλαπτομένους Alteram vocem λόγοις retinuit scriptor: alteri quae erat δίκαιος, necessario αἰτίαις substituit, tum variandi sermonis gratia tum flagitante sententia.

Quodsi quis hanc vel interpretandi vel conjectandi rationem audaciorem judicaverit, nos quidem profecto non ii sumus, qui, quid periculi subeamus, ignoramus. Sed, ut supra diximus, quum parum fructuosum est, ut nuper Cobetus fecit, intra syllabas quasdam ac terminaciones subsistere et ad leges quasdam grammaticas vel dialecticas orationem Thueydideam conformare: tum vero magnum nobis princeps philologorum, Godofredus Hermannus, exemplum proposuit, quid esset audendum, si quis Thueydi veram sententiam restituere vellet. Ergo persequamur viam institutam, et, si ea, quae offerimus, aliis minus vera videbuntur, quam videntur nobis, speremus certe, fore ut hisce nostris ausis alii ad perscrutandum Thueydidem incitentur.

Itaque I 3. agitur de ea ratione, qua Hellenum nomen paullatim et per gradus quosdam gentis universae nomen factum sit. Quos gradus, si Thueydi fides habenda est, tres fuisse manifestum est. Primum enim praeter Hellenem filiosque ejus praeterque eos, qui cum iis arctissima sanguinis et familiae societate conjuncti erant, nemo hoc nomen habebat. Deinde vero, quum Hellen et ejus posteri ab aliis arcessiti essent et apud hosce sedes posuissent, etiam hi, ad quos commigraverant, quoniam linguam eorum didicerant, Hellenes appellati sunt. Postremo universa Graecorum gens hoc nomen accepit. Jam vero ii, qui altero loco, quem modo diximus, Hellenes appellabantur, totamque per Graeciam dispersi locisque diversi incolebant, ii sunt, quos καὶ ἐκδοτούς vel ὡς ἐκδοτούς ita nominatos esse Thueydides prohibuit: καὶ ἐκδοτούς, inquit, μὲν ἦδη τῇ ὅμιλῳ μᾶλλον καὶ εἰσθαι "Ελλήνας I. 3. et paulo infra οἱ ὡς ἐκαστοι — "Ελλήνες κληρέντες. Quo loco, ne quis cum Kruegero subaudiat: ὡς ἐκαστοι ἐκληρησαν, quamquam ea explicatio ipsa per se verissima est, monendum arbitramur, verbi ἐκαστοι, ὡς ἐκαστοι, καὶ ἐκάστοις etc. semper hanc esse unam et eandem vim ut animi ad singulos convertantur, ad quos quidem sermo institutus pertineat,

Et ut breviter dicamus, Singularis numerus ἔκαστος absolute, Pluralis ἔκαστοι relative dictus est. Atque hunc constantem Thucydidis usum esse, innumerabilibus exemplis demonstrare possemus, nisi hoc esset operam perdere. His vero praemissis, jam ad eum locum proprius accedamus, qui nos ad se vocavit: Οἱ δοῦλοι ὡς ἔκαστοι Ἐλλῆνες κατὰ πόλεις τε ὅσοι ἀλλήλων ἔντεσσαν καὶ ἔμπαντες ὑστερον κληθέντες. Haec lectio si esset vera, inter se oppositi viderentur οἱ κατὰ πόλεις et οἱ ἔμπαντες Ἐλλῆνες κληθέντες: ὡς ἔκαστοι vero utrosque hos completeretur. Verum hoc ei, quam exposuimus, verborum ὡς ἔκαστοι significationi contrarium est: praeterea vero etiam alia ratio efficit, ut hanc lectionem falsam esse arbitremur. Δ' Λοῦν enim nostrum apud Thucydidem quidem hanc semper vim habet, ut, posteaquam digressio quaedam facta est, in medio relictis iis, quae tractata sunt, oratio ad eum locum redeat, unde digressa erat. Jam sententia ad quam hic Thucydides nos reducit: haec est: καὶ ἐκάστους μὲν ἵδη τῇ ὁμιλίᾳ μᾶλλον καλεῖσθαι Ἐλλῆνας, οὐ μὴ πολοῦ γε χρόνον ἵδεντα καὶ ἄπασιν ἔκτικται. Quem locum, quaeso, cum eo, de quo disputamus, componas: concedes nihil verisimilius esse, quam καὶ ἐκάστους et ὡς ἔκαστοι idem valere. Quae quum ita sint, proponimus rationem, qua verba illa cum ista sententia reconciliemus: legendum enim existimamus: οἱ δοῦλοι ὡς ἔκαστοι τε Ἐλλῆνες καὶ κατὰ πόλεις, ὅσοι ἀλλήλων ἔντεσσαν, καὶ ἔμπαντες ὑστερον κληθέντες. Ita fit ut ὡς ἔκαστοι et κατὰ πόλεις idem omnino significant, ut re vera inter se convenient. Duplicavit autem Thucydides verba, quod maximi ei momenti videbatur esse, ut de hoc altero Graeci nominis gradu et ambitu ne minima quidem dubitatio esset.

Sed ut transeamus ad alium locum, I 11. Thucydides ait, non ὀλυγανθωτίαν, sed ἀχοηματίαν in causa fuisse, cur non majores Graecorum copiae adversus Trojam proficerentur. Repetitque infra, ἀλλὰ δι' ἀχοηματίαν τά τε πεδούσιν ἀσθετήν ιψ, καὶ αἰτᾷ γε δὴ ταῦτα etc. Hoc igitur dixit, pecuniam Graecis defuisse, qua a mercatoribus, qui postea vulgo exercitum sequebantur, ea emerent, quae ad vitae usum necessaria essent. Namque Graccos ipsos victum navibus secum in Asiam transportare potuisse, Thucydidi ne minime quidem verisimile fuit. Quae res ut manifesta et extra dubitationem posita videtur, ita tamen in interpretatione Thucydidis neglecta est. Veluti quum Thucydides dicit, τῆς τροφῆς ἀποφίᾳ τὸν τε στρατὸν ἀλέσσω ἥραγον, hoc non significat, Graecis frumentum defuisse, sed defuisse opes, quibus frumentum coemerent. Jam quod paulo post sequitur, περιουσίαν δεῖ ἥδεν ἔχοντες τροφῆς, vix probari poterit, sed scribendum pro eo περιουσίαν—χοημάτων, quoniam circa χοημάτα et ἀχοηματίαν antiquissima Graecorum historia versatur, ut est I. 2. περιουσίαν χοημάτων οὐκ ἔχοντες et I. 7. περιουσίας μᾶλλον ἔχουσαι χοημάτων.

Sed veniamus ad alium locum, qui commate sublato salutem videtur ac-

